



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An mundus non posset capere libros si scribenda essent omnia gesta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Catholici, sed Collegæ etiam Rudolphi docuerunt, dum Academiæ, & titulos suos proponunt. Hic etiam apparet, quam accurate attendendum sit, ne pro suo quisque sensu scripturam interpretetur. Ex his verbis omnes Academicos, Doctores, magistros intolerant, factus damnat Rudolphus, non agi Spiritu Apostolico, agere contra mandatum, ignavos, ambitioni deditos esse contendit. Contra eum Britannii, Germani, Galli sentiunt, & faciunt, de Academicis gradibus dixi l. 4. Politicorum, quæ hoc loco non repero.

Ioannes se
auctorem
testatur.

§. 2. Ioannes iterum contestatur se libri auctorem esse, sed ad fidem firmandum illa scripsisse; ne quis in dubium vocare scriptum auderet, nullus videtur suspensum fuisse Apostolus, cum illa scriberet, summa erat Ioannis auctoritas, præsertim cum visa à se testataque scribat. addit: *Et scimus quia verum est testimonium eius.* De seipso locutus est in tertia persona, ut vero ostendat authenticum esse, mutat, & personam, & numerum, ut in Epistola, *Quod vidimus, quod audimus, quod manus nostra correctæ sunt.* &c. Posset etiam referri ad Ecclesiam, ut omnes significant, scire verum esse suum tanquam Apostoli testimonium.

Non ap-
pellat alios
testes.

§. 4. Bullingerus testimonium Ecclesiæ eum citare putat. Quali dicat, eos, qui Domini gesta viderant, & audierant, sibi testes esse, nihil à vero abhorrens à se scriptum esse. Hoc non confirmat scripti auctoritatem, sed eleuat; nam paucissimi superarant, qui Dominum viderant, nemo qui de omnibus testari potuit, nec de Apostolica auctoritate iudicium aliis permittit.

Quod vero apponit Bullingerus, non facile prætereundum est. Hac veroratione, & eo modo testimonium fert Evangelio, & Scriptura Ecclesia, non quauis sed primitiua, quæ de rebus scriptis vere testari potuit, utpote quæ & vidit, & audiuit quæ testatur. Deinceps vero valere debet scripti eius auctoritas; maxime cum videamus authentica esse instrumenta, quæ ordine conscripta, & legitimis testimoniis confirmata, singulisque sint roborata.

Verum te-
stimonium
erat Apo-
stoli.

Ac primo quidem falsum est, scriptum Ioannis à primitiua Ecclesia confirmatum, quod testaretur vera esse, quæ de Christo ipse scripsisset. Nam quædam scribit de quibus nemo testari potuit, Apostoli enim iam defuncti erant. Deinde Apostolorum testimonium non modo authenticum fuit, si de etiam tale, ut nulla in re à testimonio Ecclesiæ dependet. Non aliud testata est primitiua Ecclesia, quam hoc scriptum sibi ab Apostolo traditum, tanquam Spiritu Dei dictatum seque id agnoscere proscripto Apostolico & diuino, hoc Ioanne viuo, & tradente Ecclesia credidit. Nam continuo cum Evangelium Ioannes per Pastores euulgauit, creditum est, & pro fidei certo articulo acceptum. Non ergo Ecclesia testata est se vidisse, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, sed à Ioanne se didicisse, & volumen quod ista docebat recepit. Hoc primitiua Ecclesia secundæ tradidit, illa tertiæ, hæc sequenti per manus, & doctrinæ traduces, ad nostram usque ætatem, quæ credit librum esse diuinum, quod Deus reuelauit, & credit proponente Ecclesia, quæ à primitiua per intermedias accepit. Par igitur est testimonium primitivæ Ecclesiæ & nostræ, non quo ipsa auctoritas probetur Apostoli, sed quæ testetur scriptum esse Apostolicum. Eadem Ecclesia est, quæ de sensu scripti iudicat, quæ de libris Canonicis statuit; Et quicquid tergierentur hæretici eo tamen redire coguntur, ut ius illud Ecclesiæ adscribant. Dantæus libro de potestate Ecclesiæ, l. c. 7. [Auctoritas Ecclesiæ est potestas à Deo concessa Ecclesiæ tum ordinis, tum Politicæ in domo Dei constituendæ causâ, tum legitimi in vera fide consensus retinendi gratia, utrunque enim ius habet Ecclesia ex ea auctoritate, quam à Deo accepit, & ut politiam

constitueret in se regenda, & ut legitimum in vera fide, consensus, inter pios tueri, & conservare possit; itaque est, ut mox dicetur, duplex hæc auctoritas Ecclesiastica. Vtraque vero aliquid primum discernit, quod vel ad decorum illud externum Ecclesiæ constitutum, vel ad consensum in vera fide retinendum, ac conferendum pertineat. Itaque quæstiones de dogmate fidei primum exortas definit.]

Aliter profecto ex auctoritate consensum non potest statuere, quin quæstiones decidat, & quis verus sit sensus scripturarum, de quo controuertitur, statuit. Statuere autem in dogmatis fidei posse Ecclesiam dicere, quatenus verbo Dei aperto, vel Analogia fidei nititur. Ecce ergo potest etiam verbum apertum non sit. Sed analogia fidei, quæ analogia fidei, cum sit in variis sectis diuersissima; hinc fit ut variæ fides definiantur. Negat habere potestatem, aut nomothetiam, sed donum explanationis, & interpretationis, quam clauem scientiæ & appellari debere contendit.

VERSUS 25.

Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribantur in singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

QUESTIO I.

An mundus non posset capere libros si scribenda essent omnia gesta?

§. 1. Proprie multi interpretantur vete mundum non posse libros capere, si per singula scriberentur. Alii hyperbolice, ut cum dicuntur verbes in celum usque murare, ut significetur fore conscribendos plurimos libros. Qui proprie interpretantur, sensus diuersos habent. Nam capere potest, esse idem quod intelligere. Si omnia quæ fecit, per singula scriberentur, non posset libros mundus intelligere, qui quidem sensus verus est, sed ad institutum nihil facit; nam etiam nunc cum pauci sint, totus tamen mundus eos non intelligit. Ex eo autem de multitudine nihil concluditur. Idem de eorum sententia dicendum est, qui de memoria interpretantur, & de emptione. Nam & nunc vel vnum Evangelium pauci memoria comprehendunt, pauci emunt. Quod si mundus collectio accipitur, magna esset bibliotheca, quæ emi orbis opibus non posset. Alii res adeo magnas esse, de incarnatione, merito, miraculorum natura, potentia, quæ si omnia explicarentur, tanta efficeretur Bibliotheca, ut totus mundus ea legenda, conferenda, intelligenda non sufficeret, hoc est nemo hominum, ne quidem multi coniunctis viribus, & ordine rerum qui nunc est constituto. Equidem hyperbolem in sacris literis, non nisi cum est necesse admitto, nec tamen eos qui hoc loco eam probant reprehendo. Sine tropo tamen clarum sensum esse iudico. Libros capere, non est loco tantum continere, sed comparare, uti, intelligi aliquam earum partem præcipuam. Mundum non intelligo singulos, nec totum mundum collectivè, sed morali sensu: Hoc modo: Si omnia scribenda essent per singula, quæ fecit, quæ dixit Christus, & modus dicendus explicandus, tanta efficeretur Bibliotheca, quam nulla pars mundi, nullum regnum, nulla ciuitas caperet, legeret, sed tanta esset multitudo, ut singuli singulis ætatibus tantum particulam aliquam legerent. Non quod si operas

operas totus mundus partiretur, non posset legendo absolvere, sed si eum legendi, & discendi modum seraret, qui haec usque usque est, non caperet utendo totus mundus. Eo modo dicere posset aliquis non posse totum mundum imponere Ossan olympo, non quod temporis decursu id fieri consentiente & laborante mundo non possit, sed quod eo statu mundi, qui fuit, qui nunc est, non sit futurum, nec fieri possit: In concionibus eius multa passim miracula fuerunt, ut cum Luc. c. 24. v. 27. Interpretatur illis in omnibus prophetis & in omnibus scripturis, quæ erant de illo; non potuit vlllo modo id fieri nisi miraculo: nam stadia erant sexaginta quorum partem discipuli iam confecerant. Quomodo enim tam breui tempore tam multas scripturas exponere nisi ingenti miraculo potuit. Quod si cui hæc interpretatio displiceat, illam quæ hyperbolen agnoscit, sequi poterit; eam enim etiam probat Augustinus. Non spacio locorum credendum est mundum capere non posse, quæ in eo scribi quomodo possent, si scripta

non ferret: Sed capacitate legentium comprehendere fortasse non possent, quamvis salua rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem, quod non sit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, causa & ratione reddita exponitur: Sed quando id quod apertum est, vel augetur vel extenuatur, nec tamen à tramite significanda veritatis erratur, quoniam sic verba rem qua indicatur excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui nouit quousque credatur, à quo ultra quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid vel augetur. Hunc loquendi modum Græco sermone, non solum Græcarum, verum etiam Latinarum litterarum magistri Hyperbolen vocant: qui modus sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis diuinis literis inuenitur, ut est, posuerunt in celum os suum: & verticem capilli perambulans in deliciis suis: & multa huiusmodi, quæ scripturis Sanctis non desunt, sicut alij tropi, hoc est, locutionum modi, de quibus operosius disputarem, nisi

Euangelista terminante Euangelium suum etiam ipse compelleret meum terminare

sermonem,

* *

Finis Comment. in Euang. S. Ioannis.



INDEX

